

474.

Protokoll über den Aussöhnungs- und Friedensvertrag mit der Stadt Tortona. Den Bund beschwört mit anderen Markgraf Dietrich. 1183 Febr. 4.

Gedr.: Mon. Germ. Leg. 2,165 (nach Muratori, Antiq. 4,290).

5 In nomine domini nostri Iesu Christi. Hec est forma reconciliationis, qua civitas Terdona et eius habitatores ad gratiam domini imperatoris redierunt. Dominus imperator per interpositam personam scilicet per Conradum de Belalus super animam suam fecit iurare, quod civitas Terdona de cetero non destruetur nec per se nec per aliquem suorum, sed potius habet eam salvare et custodire, nec non personas et res eorum civium bona
10 fide et sine fraude ad honorem et utilitatem imperii et ipsius civitatis Terdone. Nec ipsam civitatem dabit alicui homini et suos castellanos permittet et consentiet subiacere civitati Terdone, sicut castellani Papienses subiacent civitati Papie, nec habet eos castellanos civitati Terdone auferre nec per se nec per alium. Maiores exactiones non exiget a civibus Terdone et ab oppidanis, sed quomodo ipse exiget a Papiensibus et eorum
15 castellanis secundum quantitatem personarum et aeris. Et hoc bona fide et sine fraude. Privilegia vero et donationes, que quasve fecit de civitate Terdone vel de castris et villis et possessionibus ipsius episcopatus, presertim de Serravalle et de aliis sine fraude bona fide revocat et cassat et cassata non confirmabit. Possessiones ecclesie Terdone, quas nunc habet et tenet, sive per se sive per alium non habet auferre. Et faciet marchionem
20 de Monte Ferrato quiescere de oppido Statiani, ne episcopus de cetero inquietetur a marchione occasione date pecunie. Et habet iubere Papiensibus, ut de cetero teneant pacem Terdonensibus et ut iuvent se cum eis de omnibus guerris eorum suis sumptibus et faciant vivam guerram inimicis Terdone. Et precipiet Papiensibus, quod remittent omnes supra scriptos castellanos Terdonensibus, quos nostra remittimus et confirmamus
25 auctoritate. Castellanos vero eos intelligimus, qui in montanis et planis habitant, presertim illos de Copara, de Azano, de Castro Novo, de Bagnolo, de Pontecurono, de Puzolo, de Monte Merlino, de Vipegolo, de Bagnara, de Monte Legali, de Belignano, de Faurega, de Gremiasco, de Monte Acuto, de Dernice, de Monte Ebore, de Merlasino, de Boligo, de Brusa Moneca, de Liprando, de Monte Iardino, de Monte Iaro, de Savignone, de Grondona,
30 de Persio, de Pobleto, de Monte Alto, de Arquada, de Monte Cuco, de Precipiano, de Serravalle, de Cassiano, de Statiano, de Brion, de Nova, de Bosco, de Villa, de Olasca, de Sarzano. Et facit finem de omnibus maleficiis, que Terdona domino imperatori vel suis militibus vel predictis fecerunt, et malum meritum non reddet Terdonensibus. Marchas, quas olim dabant Terdonenses, remittit nec de cetero eas exiget. Et faciet
35 hominibus de Serravalle finem de omnibus maleficiis, que erga dominum imperatorem vel suos fecerunt. Et permittit hominibus Terdone habere consulatum et macella et molendina et vias publicas habere et tenere, sicut permittit Papiensibus. Sicut Conradus Belalus iuravit pro domino imperatore et pro se, sic et principes et nobiles subscripti iuraverunt pro se. Theodoricus marchio de Landesbe. Florentinus comes Hollandie. Bernardus